Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1259
Quelle:
Copyright:

deuote domine G. dei dono abbatiſſe frater Marcus ſibi deuotus famulus utinam tam ualidum quam paratum ſeruitium. Cum multi ſint uocati pauci uero electi &c. Ignotum hunc *Marcum* interpretem tantum egiſſe, ex his verbis liquet: *Placuit namque ueſtre prudentie quatenus miſterium quod oſtenſum fuerat Tungdalo cuidam hybernigeno noſter ſtilus licet ineruditus de barbarico in latinum transferret eloquium.* Itaque Autor ipſe, qui narrationem aut ex ore ipſius *Tungdali* excepit, aut ſe excepiſſe finxit, ſermone tunc *Hibernis* proprio, et nunc etiam Plebi familiari conſcripſiſſe eam videtur. An Αυτογραφον iſtud etiamnum extet, *Tannerus* in *Biblioth. Brit. Hib.* non memorat. *Prologum* porro noſtrum, in quo *Viſio* anno MCXLIX. adfigitur, *Martenius* demum T. I. *Anecdot.* p. 490. produxit, cum *Viſio* ipſa jam a *Vincentio Bellovac.* inſerta fuiſſet, facta etiam *Marci* noſtri mentione, *Libro* XXVII. *Speculi Hiſtorial.* c. 88. impreſſaque Sec. XV. latine, germanice et belgice, ut habes in *Supplemento* meo *Maittairiano.*

VII. *fol.* 100. p. 2. *Incipit paſſio beate katerine uirginis et martiris.* Initium: *Tradunt annales hyſtorie* &c. Eadem prorſus indicata eſt alibi, ut *Index* docet.

VIII. *fol.* 113. *Incipit uita ſancte helene matris conſtantini imperatoris.* Initium: *Cum rex regum et dominus dominantium eccleſie ſue quam per infirma mundi plantaverat* &c. Exemplum hujus non tam *Vitae*, quam *Homiliae* in tranſitum B. *Helenae* nacti ſunt e Collegio Canon. Reg. *Bodecenſi* Hagiographi *Belgae*, illudque recenſitum dedere ad diem 18. *Auguſti* p. 578. quo te, ſi lubet, refer.

IX. *fol.* 115. *Incipit paſſio beate margarete.* Initium: *Poſt paſſionem et reſurrectionem domini noſtri ihesu chriſti et glorioſam aſcenſionem eius in celos* &c. Habetur in *Bon. Mombritii* T. II. de *Vitis SS.* ubi, qui totam narrationem texit, *Theotimus* minus recte, ut puto, *Tectinus* dicitur.

X. *fol.* 119. p. 2. *Incipit paſſio beati Thome apoſtoli.* Initium: *Apparens dominus apoſtolo ſuo thome apud urbem ceſaream oſtendit ei prepoſitum familie regis indorum gundiforum nomine* &c. Eadem, ſed ſuccinctius, legas apud mox cit. *Mombritium.* In *Cod.* tamen adjecta ſunt *miracula beati thome apoſtoli*, Fabula ſcilicet de Eo ſingulis annis Populo Euchariſtiam diſtribuente, de qua jam actum *Cod.* CLXV. quaeque rhythmis germanicis concluſa *Bambergae* 1493. 4. typis prodita eſt.

XI. *fol.* 121. p. 2. *Paſſio beatorum apoſtolorum petri et pauli.* Initium: *Paulus ſeruus domini uocatus apoſtolus ihesu chriſti. cum uniuerſas grecie partes* &c.

XII. *fol.* 122. *Paſſio beati iacobi apoſtoli.* Initium: *Apoſtolus domini noſtri ihesu chriſti iacobus beati iohannis ewangeliſte germanus* &c.

XIII.